

torqueri jubebit. Debet enim Judex habere rationem humanitatis, Menschlicher Weise soll einer torquirt werden/ ne ob tormenta inquisitus postea reddatur inutilis, neque etiam medium inquirendi in veritatem sit ipsa pœnâ durius & gravius. Egregiè scribit Gomez. *l. 3. Var. resol. c. 13. n. 5. fol. 569.* Generaliter datur talis regula, quam Judices habebunt præ oculis, quod tortura debeat haberi cum moderamine secundum qualitatem personæ, delicti, indiciorum & temporis, ita, ut verisimiliter reus tortus maneat salvus & illæsus, & non perdat vitam, vel aliquod membrum. Idem sentit Menoch. *l. 2. cas. 271. n. 1. p. 529.*

Moderamen itaque torturæ potissimum in tribus rebus considerari debet 1. In qualitate delicti 2. in conditione personæ, & 3. gradibus tormentorum. Carpz. *d. 9. 117. n. 72. fol. 159* Judex itaque cogitet, se Christianum esse, adeoque sibi incumbere, modum statuere torturæ: Quò tempore autem, numquid diebus feriatis, vel non, manè an post meridiem, noctu an interdiu tortura peragi debeat, de eo consuli potest Carpz. *part. 3. q. 124. per tot. p. 208. & seqq. Pract. Crimin. Mantz. ad art. 58. num. 43. & seqq. p. 140. & seqq.* Imò quoties debeat interrogari, Mantzius *ad d. art. num. 80. pag. 246.* Carpz. *d. l.*

II. Alterum membrum est: Quod rei confessio, quam facit in tortura, non attendi, sed prius is sit relaxandus, & tormentis exemptus quid confessurus sit, ab Actuario notari debeat. Ratio est, quia non est verisimile, inquisitum in doloribus cruciatuum constitutum, posse veritatem eloqui, & quæ ipse commisit, sibi revocare in memoriam, Bocer. *c. 5. num. 35. p. 480. 481. de Tortura.* Carpz. *d. 9. 124. num. 26. 27. 28. p. 211.* Mantz. *ad h. art. num. 86. 87. 88. p. 247.* quæ itaque post remissam torturam fatetur, conscribenda sunt ab Actuario, quippe quæ ad veritatis investigationem momentum sunt allatura. Remus *in paraphr. ad h. art. fol. 65.* Ibid. & Gilhaus. *fol. 19.* Blumbl. *ad h. art. n. 9. fol. 167.* Vide & Zanger. *c. 4. de tort.*

ARTIC. LIX.

Vulneratus quemadmodum torqueatur.

So der Arm / den man fragen will / gefährliche
Wunden hätte.

So der Beklagte gefährliche Wunden / oder andere Schäden an seinem Leib hätte / so soll die peinliche Frag dermassen gegen ihm fürgenommen werden / damit er an solchen Wunden / oder Schäden am mindesten verletzet werde.

AD